



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

6. Somniorum vanitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

omnia objecta Jacobo, Josepho, Abrahamo, Pharaoni, Salomoni, Nabuchodonosori &c. erant mysteriis plena. Job. c. 7. ait. *Terrebus me per Somnia, & per visiones horrore concuties. Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.*

VI. (f) Univerſim ac maximam partem inania, falſa, vana ſunt ſomnia, & nullam merentur obſervationem. Quod Eccleſiaſtes dilucidè pronuntians: *Multas curas, inquit, ſequuntur Somnia, & in multis ſermonibus inveniatur ſtultitia. Vbi multa ſunt ſomnia, plurime ſunt vanitates, & ſermones innumeri: tu verò Deum time. c. 5.* Et Siracides cap. 34. *Multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis. Quasi qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum: ſic qui attendit ad viſa mendacia.* Unde Diogenes apud Laërtium lib. 6. *Quæ vigilantes agitis, ea non curatis: quæ verò dormientes ſomniatis, ſollicitè perquiritis. Ad felicitatem enim hominis non tam refert, quid patiatur in ſomniis, quàm quid agat vigilans.* Et Cato

Somnia ne cures: nam mens humana quod optat,  
Et vigilans ſperat, per ſomnum cernit idipiſum.

Accedit Tibullus lib. 3. Eleg.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,  
Et pavidas mentes falſa timere jubent.

Ad rem Comicus. Cùm Dii nobis ſomnum dederint, curarum & laborum delinimentum, ſuperſtitioſus illum ſibi reddit carnificinam & tormentum. Hinc Plato: ſpes mortalium ajebat, ſomnia ſunt vigilantium: plerumque inania & falſa. Neque enim, quod Maro canit, amantes tantùm ſibi ſomnia fingunt, ſed etiam timentes, ſperantes, morientes, gaudentes. Apparet hoc ipſum ex vanitate conjectorum. Curſor, inquit Tullius, de *divin.* ad Olympia proficiſci cogitans, viſus eſt in ſomnis curru quadrigarum ferri; manè adit coniectorem. At ille, *Vinces* ait, id enim celeritas ſignificat, & vis equorum. Accedit alterum, audit: Tu vincèris; an non intelligis quatuor ante te cucurriſſe? ſcilicet equos. Huc conveniunt verſiculi:

Divitibus veras curas, tormenta, dolores,  
Somnia, pauperibus gaudia falſa ferunt.

VII. (g) Negari tamen non poteſt ex ſomniis ſicut corporis, ſic animi affectiones cognoſci poſſe. Tunc enim animus in profunda tranquillitate conſtitutus veros affectus prodit: indeque fit, ut quæ vigilantes agere & profari non audent, ea nec noctu in ſomnis occurrant. Plutar-

chus

(f) Somniorum vanitas. (g) Somniorum naturalis ſignificatio.